

a Sixto quarto Pontifice Maximo centum ante annis instauratam, sed loco abdito parumque illustri nec satis salubri relictam, transferre in splendidiorem partem palatii et libris, quos undique conqueri iussit, locupletare atque ornare destinavit; ibidem instituta typographia et eius artis peritissimis hominibus praemio auctis, quo librorum, qui in bibliotheca sunt manu scripti graeci latinique permulti probatissimique praelo impressi ederentur. Aedes Lateranensi fano adiunctas, ubi antiquorum Pontificum sedes et domicilium fuit, collapsas deformatasque vetustate ac neglectu, non instaurare, sed de integro aedificare multo quam antea ampliores splendidioreque instituit. Templum Petri et Pauli a Julio secundo Pontifice Maximo inchoatum, quod aedificii magnificentia lapidum mole immanique magnitudine multorum saeculorum opus videbatur, pietate atque animo prope maiore quam ipsum opus, perficiendum suscepit, ut, ubi caput rerum et christianae religionis principatus sedesque divinitus constituta et apostolorum ipsorum morte ac sanguine sancita esset, ibi et Deo cultus et apostolis honos templo, quam fieri humana ope posset maximo magnificentissimoque haberetur. Et quo rem ipso statim incepto nobilitaret ac per omnia summorum principum gloriam aemularetur, immensi ponderis obeliscum in orum, quod ante templi ipsius gradus latissimum est, transtulit. Hunc olim in Vaticano circo Caius locavit Augusto et Tiberio sacratum. Aegypto advectus et ab Nuncoreo seu Pheronio traditur excisus, Sesostridis filio, cuius regis tantas opes atque ex his tantam superbiam atque vanitatem fuisse memoriae proditum est, ut statis annis ad currum, quo ipse sublimis vehebatur, sorte lectos alios reges imperio eius parentes iungere solitus dicatur. Caeterum Vaticani collis faciem fortunamque ut fere omnia aetas mutavit. Nam qui quondam desertus habitatoribus et suppliciis, quae in eo de sontibus sumebantur et coeli gravitate infamis habebatur, is nunc et nobilibus circa domibus frequentibusque aedificiis late colitur et Pontificum Maximorum sede et maiestate ac religione templi sacratum cum honore ac veneratione aditur. In templi ipsius latere, quo meridiem aspicit, obscuro ac abdito in angulo paene obrutus terra Vaticanus obeliscus visebatur. Et cum loco illustriori dignum omnis inde aetas iudicaret videreturque magnum decus novo templo additurus, si apto loco statueretur, omnes tamen difficultas moliendi tantum saxi pondus deterruit. Et superiores Pontifices cupidinem hominum de transferendo eo agitarunt magis sermone et consultatione peritorum quam aggredi ipsi rem sumptu et molimine arduam ausi sunt. At Sixtus magnarum rerum appetens et, ut quodque factum difficillimum ita eius perficiendi maxime avidus adeo non cunctanter adortus est opus, ut architectum ex Etruria ad consultandum accitum, annum sibi excogitandis ferramentis machinisque poscentem spretum derisumque remiserit domum, et protinus invadi rem atque inchoari impigre opus imperavit, haud ferme alterius ingenio usus, quam Dominici cuiusdam a Lario lacu, qui ex fabro naturali acumine et exercitatione magis quam studio aut doctrina ulla evaserat architectus. Ab hoc felici conatu depositus prius, deinde traductus, postremo (quod multo operosius fuit) erectus statutusque est medio fori spatio e regione arae maximae et detracto aeneo globo, qui fastigio eius impositus erat, eodem aeneam crucem illitam auro reposuit. Quae quidem crux, magna cum pompa ac suppli-